

tem, quisnam per hunc Spiritum intelligendus sit? Ubi in duas Classes dividuntur Autorum suffragia. Sunt quidam, qui Spiritum consilii, Prudentiæ, & Fortitudinis ablatum à Saule statuunt. Inter hos est *Sobnius Tom. II. Opp. pag. 777.* *Hugo Grotius*, qui in *Annotatis ad hunc locum* docet, quod regium illum Spiritum Saul amiserit, quem acceperat ante, cum immutaret ei Deus cor in aliud, h. e. solito eum fortio- rem & prudentiorem faceret. Nec ab his latum, quod a- junt, unguem recedit *Cornelius à Lapide in Commentario ad b. l. p. 304.* cum similiter per Spiritum Domini Spiritum bo- nitatis, magnanimitatis, animique liberalis & regii intelli- gendum censet, atque addit, Saulem post amissas has virtutes *recidisse in primævam animi sui parvitatem, dejectionem, im- prudentiam, vilitatem, pusillanimitatem: unde eum, qui prius in bellis fuerat acer & Victor, postmodum extitisse im- bellem, ignavum, inertem, nec quicquam præclare gessisse.* Quin & non hi solùm, sed *Targum quoque Jonatban* pro יהוה רוח habet גבורה רוח (Spiritus Fortitudinis.)

§. VI. Verùm enim verò, quò minùs huic sententiæ ad- stipulemur, ratio non una obstat. Primò enim Theologi docent, non facile recedendum esse à proprietate vocis, e- jusque significatione primà ac primariâ, nisi vel contextus vel alia ratio id exposcat. Jam verò quis nescit per Spiritum Domini Spiritum S. in Scripturis intelligi, cum propriè hoc nomen accipitur? Sanè hoc ex inductione exemplorum plurimorum haut difficulter probari potest. Quæ itaque esset causa nos impellens, ut hic à proprietate harum vocum secessionem facere & ad id descendere vellemus, quod illæ non ad eò principaliter denotant. Porion enim jure Spiritui S. competit appellatio Spiritus Domini, quàm quidem Spiritui Fortitudinis, Prudentiæ, & consilii, quanquam non eamus inficias, & hunc Spiritum Domini appellari & posse & debere.